

LEONES X.

PONTIFICIS MAXIMI

VITA

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE

CURATORE

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

PISIS MDCCXCVII.

EXCUDEBAT ALEXANDER LANDIUS
IN AEDIBUS AUCTORIS,

M.L.

Rege & Caesare calamitates, ut in gratiam cum Romana Ecclesia rediret, nequo dubitabat, quin secum mirissime actorne esset Pontifex, qui tot in deerantes ediderat mansuetudinis exempla, qui que nemini, qui errorem suum deposuisset, veniam & impunitatem se non daturum profitebatur. Laudavit ille exquisitissimis verbis Regis consilium & factum, eumque, proponens majorum exempla, cohortatus est, ut dignitati & gloriae serviret in re christiana defensione suscipienda. Fuerunt & aliae publicae laetitiae caussae ob victorias, quas Lusitaniae, Pannoniae, & Poloniae Reges adversus catholici nominis hostes obtinuerunt, pro quibus gratias Deo agendas Leo censuit magna cum pompa in re praesertim divina facienda, & in equitationibus ad Aedes S. Mariae de Populo, & S. Augustini. Quidquid harum rerum jubebat, curabat, ut summam speciem & dignitatem haberet: maxime enim diligebat publicam magnificentiam. Commisit vero Camillo Portio, ut oratione, quam dixit in Sacello Pontificio, non modo Lusitaniae Regis Indicas victorias, sed & laudes celebraret: nam, quas ab eo acceperat, litterae singularem erga se & Romanam Ecclesiam voluntatem declarabant. Neque hac re contentus Emmanuel Rex tres ad eum legatos misit cum amplissimis muneribus, qua legatione nihil iis temporibus fuit magnificentius, & pro qua singularibus verbis Leo illi gratias agendas censuit (30). Princeps illius erat Tristanus Cugna, qui res praeclaras in India gesserat, cuiusque summa erat dignitas: sequebantur Jacobus Pacieus & Joannes Faria magni nominis, magna que auctoritatis jurisconsulzii. Urbem illi ingressi sunt JV. Id. Martii an. MDXIV. cum magno comitatu, in quo erant tres Cugnae ipsius filii, & cognati, & affines plures, eosque a porta ad hospitium Populus Romanus, & qui obviam illi miserant Cardinales & Principum Legati, praetorianique milites incredibili celebritate & laetitia prosecuti sunt. Erat cum iis elephas Indicus mirae magnitudinis, panthera venatica, magnifice instruclii equi Persici, quem regebat Persa venator exi-

mius, clunibus insidens, & haec omnia cum sacris vestibus auro
gemmaisque distinguis, vasis, calicibus, & altaris pallio summo ar-
tificio elaboratis dono Rex Pontifici mittebat. Erat quoque cadu-
ceator Lusitanus cum insignibus Regiis, qui Legatis praebat. Ut
ventum est ad eum locum, ubi Pontifex e fenestra hanc pompam
spectabat, elephas ter flexis genibus, & demisso corpore vene-
rabundus illum salutavit, deinde proboscide in dolium ingens aqua
repletum immissa, aquam hausit, qua non solum circumstantem
plebem, sed etiam e fenestris spectantes magno cum Pontificis ipsius
risu aspersit. Sexto post die ad eum Legati non minori cum pom-
pa deduci fuerunt; aderant Cardinales, Antistites, Principum Ora-
tores omnisque aula; Pacieus splendissimam orationem habuit, cui
Latinis verbis ita respondit Pontifex, ut nil fieri potuisse aptius,
nil gravius, nil elegantius omnes judicaverint. Postridie Legati in
viridarium, quod palatio adjunctum est, admissi fuerunt, quo in
loco munera Pontifici obtulerunt, inde in hortum vicinum, ubi
erat elephas & panthera, quae in animalibus ad rem ipsam pa-
ratis suam venaticam dexteritatem experta est. Majus quoque
spectaculum fuisse, nisi rhinoceros non visum in Italia multis
jam saeculis animal, quem Romam devehendum quoque Rex jusse-
rat, ad Ligusticae orae scopulos, cum impeditus catenis enare
nequisset, naufragium fecisset. Ad testificandum gratum animum
suum Leo Regi rosam auream dono misit, eique concessit, ut Equi-
tum Jacobensis & Cisterciensium Magisterium, cui vellet, assi-
gnaret, utque honores, qui Beatis tribui solent, tota Conimbricensi
Diocesi haberentur Elisabethae Dionysii Lusitaniae Regis
uxori, feminae vitae sanctitate nemini secundae. Eodem ferme tem-
pore septem Minoritas, qui ab origine ultima familiae in Africa
pro catholica religione mortem obierant, in martyrum album retu-
lit. Omnia, que pertinere ad Dei Sanctorumque cultum, & ad
prodenda virtutum exempla illustria intelligebat, studiosissime di-
lignantissimeque curabat, & tum maxime & pietatem & religionem

versari in animo illius dixisses, cum rebus divinis operam dabat. Testatur Jovius vere de illo dictum videri, neminem superiorum Pontificum illo augustius & decentius sacrificasse, neminemque majori studio procurasse, ut caerimoniae & religiones publicae sanctissime colerentur. Videbat etiam, ne quid a ceteris, qui sacrissimis praecerant, fieret, quod a majorum institutis & ab antistitium dignitate abhorreret, probe noscens quam sensim negligentia inlapsa in populorum animos, malis studiis malisque doctrinis repente totas civitates everteret. Vel in ipsis modis musicis, qui ad Dei cultum adhibebantur, jucundam quamdam severitatem probabat, nec sane tulisset, quod nunc passim fieri videmus, ut cantores cervices oculosque pariter cum modorum flexibus torquerent. Magis etiam magisque apparuit ejus studium sanctioris disciplinae ex iis, quae Concilii Patribus decernenda proposuit, cumque intervenisset querelis Episcoporum, quas habebant de Cardinalibus, quod hi eos non solum juribus quibusdam, sed etiam dignitate fere spoliare volebant, eorum decori auctoritatique consuluit. Ea autem de Cardinalibus ipsis sancienda curavit, quae ad eorum frenandam ambitionem atque luxuriem salutaria, atque temporibus, tanta erat morum corruptela, accommodata videbantur. Bene quidem ac sapienter Concilii Patres judicarunt, hominum, qui in amplissimo essent ordine collocati, vita vietuque mutato, mores mutari quoque civitatum, quod vitiosi principes non solum obsunt, quod ipsi corruptuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato nocent. His autem verbis decretum factum fuit. *Cardinales vitae munditia ac virtutum splendore cunctis praefulgeant: sint omnes vigiles, ac divinis officiis missarumque celebrationibus intenti: in domibus familia, mensa, supelleciis sint modestiae & frugaliatis speculum: ministerium indecorum Episcoporum, Praelatorumque in domibus non habeant, sed eos honorifice ut fratres, ac juxta eorum statum ac dignitatem traudent. Ne partialitatem suscipiant aliquam neque Principum, aut Communitatuum, vel quorumcumque alio-*